



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

De domo in Patauia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

De Muta & Theolon. in Austria.

Ridericus Dei gratia Dux Austria & Styria, & Dominus Carn. omnibus hanc litteram inspecturis in perpetuum. Cum Ecclesia in Osterhouen à bonæ memoriæ Duce Leupoldo, atauo nostro occasione quondam obsidionis Castri in Ortenburch læsa fuerit plurimum & grauata in recompensationem ejusdem damni ejusdem Ecclesiæ felicis recordationis progenitoris nostri pia deuotione duxerunt indulgendum vt omnia victualia sua vbique apud thelonca siue mutas suas absque vestigali & eo quod *Saruari* vulgariter appellatur gaudere debeant, libero transitu & securo. Nos eorundem prædecessorum nostrorum inherere vestigiis cupientes id ipsum jus pro Deo omnipotentis reuerentia memoratæ Ecclesiæ duximus concedendum. Vt autem hæc concessionis nostræ gratia debeat inuiolabiliter obseruari, præsens scriptum sigilli nostri caractere roboratum sepefatæ Ecclesiæ mandauimus assignari. Datum in Chrems per manus magistri *Vlrici de Chirnperch* Prothonotarij, Anno Domini M. CC. XLI. VII. Idus Martij, XIV. Indict.

De domo in Patavia.

Ridigerus Dei gratia Pataviensis Episcopus in perpetuum. Ne rebus gestis procedente tempore periculosa obliuione valeat derogari, ea quæ aguntur solent commendari, scripti memoriæ ad cautelam. Hinc est quod notum esse cupimus, tam præsentibus quam futuris, quod cum *Otto* dictus *Chlosner* fidelis noster ciuis Patau. Ecclesiæ & Conuentui in Osterhouen pro remedio animæ suæ & *Irmgardis* vxoris suæ & progenitorum eorundem, & vt ipsorum anniuersarius in festo *Oswaldi*, annis singulis celebretur in præsentia nostra & ciuium nostrorum domum suam in qua *Sifridus* de Osterhouen habitauit hætenus tradidisset, pariter & donasset perpetuo possidendam. Petiuit autem à nobis idem Conuentus & dictus *Otto* vt dictam domum præfatæ collationem nostris dignaremur litteris confirmare. Nos ergo iustis eorum petitionibus satisfacere cupientes, auctoritate nostra donationem eandem duximus confirmare: vt autem dictæ donationis confirmationi nequeat per alicuius friuolam malitiam in posterum obuiari, præsentem paginam cum sigilli nostri appensione & testium subscriptione fecimus communiri. Testes autem hi: *Engelschalcus*, *Chunn*, *Setzer*, *Metfridus*, *Chunn*, filius *Perhardi Doringus Sartor*, *Sifridus* de Osterhouen, & *Leupoldus* filius eius, *Purchkardus Ekkericus* & alij quam plures. Dat. Patau. anno Domini M. CC. XLI. XII. Kln. April. Indictione XIV.

Item de Curia Pasching.

Omnia quæ aguntur in tempore ne labantur cum tempore scripturarum serie solent perennari. Hinc est quod nos *Heinricus* dictus de Osterhouen Prepositus, & ipsius loci Capitulum, posteritati nostræ præsentis scripto mandare curamus, quod querimonia inter nos & ministeriales dictos de *Steinberck*, *Albertum* videl: & *Perchtoldum*, *Wernhardum* & *Chunnradum*, & ipsorum Patrem, *Perchtoldum* piæ memoriæ à multis retroactis temporibus semper interminata, permansit. Tandem verò dicta causa à venerabilibus de superiori *Altach* & de *Wimberg* Abbatibus vtriusque partis arbitris taliter diffinita est, vt nos jam dictis militibus de *Steinberch* X. lib. Ratisp. probatæ monetæ persolueremus, & ipsi sæpediti ministeriales intuitu Dei & pro remedio patris ipsorum prædium in *Paschingen* Ecclesiæ nostræ quiete possidendum contradherent. Vt autem ista quæ prælibata sunt firma & rata permaneant. Nos de *Steinberch* fratres, *Albertus*,